



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Albertus Miræus n. 85

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

In Hispania Prouincias 5. habet, quae praecones Euangelicos dant ad utramque Indiam.

In Gallia totidē quae praecoram operam praestant in seductis ad gremium Ecclesiae reducendis.

Et in Germania tres: in quarum collegijs iuuentus optimis moribus, & literis imbuuntur.

Societas laudatur:

Et Ignatius Patens.

Et Xaverium filius.

85. AB ALBERTO MIRÆO, *In libello Politiae Christianae lib. 1. cap. 19. pag. 77.* In vniuersis (inquit) Hispaniarum Regnis Societas IESV quinque Prouincias habet, quas vna cum singularum Collegijs operæ pretium hic fuerit ob oculos ponere, quod ex ijs potissimum desumpti fuerint, hodieque desumantur praecones Euangelici ad Christi doctrinam per utramque Indiam, longè lateque disseminandam. *Hæc ille: qui Collegia recenset quæ in vnaquaque Prouincia habet Societas. Et Ibidem cap. 25. pag. 105. subdit: Si vsquam alibi, in Gallia praecoram certe operam praestat Societas IESV in seductis ad viam veritatis, gremiumque Ecclesiae reducendis. Ipsi autem in Gallia sunt Prouinciæ quinque. Et vniuscuiusque Collegia enumerat. Et Ibidem cap. 35. pag. 141. In Germania (inquit) tres habent Prouincias Patres Societatis, in quarum Collegijs iuuentus optimis moribus, & literis accuratè imbuitur: vel ipsorum etiam Lutheranorum iudicio, qui non raro liberos etiam suos ad ea gymnasia erudiendos mittunt. Sic ille: qui Auctor diuersus est à precedenti Alberto Miræo, ut apud scriptores inuenio: fides sit penes ipsos.*

86. A SALVSTIO GERMANICO, *In suis Flosculis Historicis, siue Historia Vniuersali ab Orbe condito, sic ait: Eo tempore nascebatur Societas IESV, sancita à Paulo III. an. 1540. eo incremento, rerumque successu, quem vterque Orbis suspexit. Auctor Ignatius de Loyola, qui per tirocinium patientiæ ad sanctitatem miram euectus, prudentiæ, & humilitatis specimen fuit: cuius miraculum ingens Xaverius, sequenti anno in Indiam missus, qui terrarum tractus, & marium immensos obiens, myriadibus hominum Christo consignatis, eique aperta primum Iaponia in Sinarum aditu, raptus est febrī, cum eius ignibus minor esset Orbis, quærendumque esset in ipso fonte incendij pabulum. Hæc Auctor florentissimus fol. mhi 590.*

* 87. A D^a. MARINA DE ESCOBAR, *Illam quidem Venerabili femina, sanctitate clarissima Virgine, tot tantisque diuinitatis*